


SVPPLICATIO AD IMPERATOREM, Reges, Principes, SVPER CAVSIS GENERALIS *Concilij conuocandi.*

CONTRA PAVLVM QVINTVM.

LONDINI,
Excudebat BONHAM NORTON,
Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis in Latinis, Græcis, & Hebraicis Typographus.
ANNO cIↄ.Iↄ.XIII.

Rou: Woodward

INVICTISSIMO AC SAPIENTISSIMO MONARCHÆ IACOBO REGI ANGLIAE, &c.



Onsilium veritatis eò deductum est (Rex serenissime) ut nisi promotorem inveniat, desperatum sit. Nemo enim ulterius ad id quod publicè interest, rationem revocat. Nemo est qui ignorat Ecclesiam Romanam vero destitui pastore; ubique terrarum de intrusione, simonia, atque inertia, imo de deprædatione Papatus nostri temporis sermones habentur. Hæc omnibus nota ac manifesta sunt, passimque in Curijs Principum circumferuntur; & tamen omnes tacent, atque dissimulant, Pontificemque Romanæ Ecclesiæ venerantur, qui talis verè non est. Nemo in censorium iudicium rem audet deducere: ille mos severissimi magi-

ſtratus Concilij convocandi ſublatus eſt. Deus Opt. Max. me novum hominem excitavit, meoque calamo ſpiritum inſufflavit, ut omnes cauſas deſcriberem, eaſque præſenti ſupplicatione concluderem, atque nomine ipſius Omnipotentis contra omnem hominem intimarem. Quum autẽ inter veritatis cultores, noſtra ætas te ſolum (Auguſtiſſime Princeps) incomparabili fœlicitate ſortiatur, qui excelſa mente omni diſciplinarum genere excultâ, doctiſsimis lucubrationibus, omnium Principum amorem, obſervantiam, atque benevolentiam tibi conciliaſti; operæ pretium eſſe duxi, ſupplicationem iſtam tibi Regi ſapientiſsimo offerre ac dicare, ut tuis auſpicijs ad Imperatorem, Reges, Principes miſſa, magnâ curâ & attentione perlegatur: ita enim ſperari poteſt, ut Sacroſanctum Generale Concilium convocetur, & Eccleſia Romana tua authoritate purgetur. Vale Rex fœliciſſime.

Romæ Cal. Martij.

1612.

Sereniſſimæ Maieſtatis veſtræ

Devotiſſimus

Novus Homo.



AD LECTOREM.



Vamvis properanti, amice Lector, cupientique, ut fit, novum libellum quàm celerrimè percurrere, odiosa omnis retardatio in ipso præsertim limine videatur; nos tamen operæ pretium existimavimus, paucula quædam eademq; necessaria præmittere, quorum intelligentia quasi fax prælucens, hanc tibi moram perfacilè compensaret. De authore igitur, quod primum est, hæc fere sunt quæ tibi non incognita velimus; Hominem utiq; non fuisse ex eorum numero, qui sub alio cœlo viventes ea scriptis mandare non dubitant, quæ ipsi nescientes iuxta cum ignarissimis, ex alienis sermonibus famaque de longinquis itineribus crescente percipiunt · verùm Romæ vixisse in ipsa illa Republica, & inter illos homines de quibus hæc qualiacunq; sint scribit; quorum te facimus participem. Sed ille non ita pridem ex hac vita emigrans, scriptum hoc in manibus amici cuiusdam sui, casu an consilio nescimus, reliquit; qui parum solicitus, ut videtur, quid contineret, vel minimè metuens ne

evulga-

evulgaretur, homini illud Anglo in ea tunc fortè regione commoranti ſua manu tradidit. Quid multa? ab eo fœliciter nos nacti ſumus. Quumq; contineri inibi aliquàm multa offendimus, cognitione hominum ſanè non indigna, viſum eſt haud ingratum neque abs re fore, ſi excuſum typis in vulgus emitteretur. Id ergo iuxta fidem autographi, ſine aliqua fallaci rerum verborumve permutatione præſtari curavimus. Atque eò quidem libentiùs hoc à nobis conſilium ſuſcipitur, quòd Author ipſe in votis habuit, idem hoc ſcriptum Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Regi dicaſſe. Tantum abeſt vt iuſtè nobis quiſquam objiciat, vel compilaſſe ſcrinia defuncti, vel arcana quæpiam contra voluntatem eius, quum reclamare iam nequeat, publicè diſſeminaſſe; quod inhoneſtum fortaſſè crimen à non nemine haberetur. Sic ſolvimus manum, lector, neque te per prolixum exordium, rem inviſam, detinebimus, quo minus pergere poſſis, perlegere, & pervenire quò voles.

Vale.

ERRATA.

Pag. 13. *lin.* 14 ambigiat *lege* ambigat.

Pag. 24. *lin.* 13. Nepos *lege Nepotes.*



Spiritus Sancti gratia.

DE PRIMA CAVSA GENERALIS concilij convocandi, quum post GREGORIVM 13 omnes Pontifices successores in Papatum intrusi sint.



I unquam status universalis Ecclesiæ conturbatus fuit, nostris temporibus deplorandus est; in quibus Ecclesia vero Pastore caret, intrusi Papatum deprædantur, omnes Ecclesiastici posuerunt curam in proprio commodo; nihil vlterius, quod ad religionem pertineat, curæ superest.

Sixtum Quintum *per simoniam electum fuisse nemo dubitat. Nam ut Papa eligeretur, suffragia Cardinalis Aloisij Estensis, Cardinaliumque ab illo pendentium emit, eidemque mediante scriptura sua manu subscripta promisit, nunquam in suo Pontificatu Hieronymum Matthæum, (qui inimicus Estensi erat) se creaturum Cardinalem, si Estensis cum suis in proxima electione, Sixtum suffragijs suis ad Papatum vellent promovere;*

vere; & quum mediante Estensi factus fuisset Pontifex, opus se manuum suarum esse, coràm professus est.

Hic est casus Bullæ Iulij Secundi *super simoniaca Papæ electione, quæ adhuc in recenti viget obseruantia; ita vt omnes Cardinales, quum primum Conclaue ingrediantur, bullam illam obseruare, tactis sacris, in se recipiant. Constitutionis verba hæc sunt:*

Si contigerit postquam nos vel successores nostros successiue, Deus ab huiusmodi vniuersalis Ecclesiæ regimine absoluerit (humani generis inimico procurante, & ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante) electionem Romani Pontificis ab eo quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de cætu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per simoniacam hæresim in dando, promittendo, vel recipiendo bona cuiuscunq; generis, castra, officia, vel beneficia, seu promissiones & obligationes, commissam per se vel per alium, seu alios quomodocunq; & qualitercunque, & in duarum partium, vel omnium Cardinalium vnanimi concordia, quomodolibet etiam per viam assumptionis vnanimiter, etiam sine scrutinio facto celebrari vel fieri; non solum huiusmodi electio vel assumptio eo ipso nulla existat, & nullam eidem sic electo vel assumpto administrandi in spiritualibus & temporalibus facultatem tribuat; sed etiam contra dictum sic electũ vel assumptum de simoniaca labe a quocunque Cardinali (qui eidem electioni interfuerit) opponi & excipi possit, sicut de vera & indubitata hæresi, ita vt a nullo pro Romano

mano Pontifice habeatur, &c. Nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem seu obedientiam, ullo unquam tempore convalescat. Liceat omnibus & singulis Cardinalibus, etiam illis qui eiusmodi simoniacæ electioni siue assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem siue adorationem & obedientiam, ac etiam vniuerso clero, populo Romano, nec non subditis, & sancti Angeli de vrbe & quarumuis aliarum Arcium Præfectis, Castellaneis, Capitaneis, & alijs officialibus, a talis electi & inthronizati obedientia, & deuotione impune, & quomodocunque discedere, & eum vt Magum, ethnicum, publicanum, & hęresiarcham evitare. Et insuper liceat Cardinalibus qui electioni simoniacæ interfuerunt, & a pręfato sic electo discesserint, &c. Concilium generale indicere & convocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire.

Ipsum factum simoniacæ electionis Sixti Quinti, *notorium factum est: Nam quum ipse* Sixtus *datam Estensi fidem violasset Hieronymumque Matthæum Cardinalem creasset, Estensis præ nimio dolore ægrotans, antequam moreretur illam apocam* Sixti Quinti *manu subscriptam ad Regem Catholicum Philippum secundum transmisit, qui anno* 1589 *Ducem Suessæ Oratorem extraordinarium Romam misit ad intimandum ipsi* Sixto *generale Concilium, super declaratione simoniacæ electionis & ad requirendum dominos Cardinales (a prædecessoribus cre-*

 atos)

atos) aliosque Ecclesiasticos, ad comparendum in Concilio Hispalensi. Itaque ipsa apoca, ipsumque factum in iudicium deductum notorium factum est; sed quia intimatione facta, ipse Sixtus *præ desperatione mortuus est, ideo negotium vlterius progressum non est.*

Notorium quidem factum dicitur, etiamsi iudicium a principio nulliter inchoatum esset: sed ipsum Regem rectè fecisse dicendum est; Nam omnes Catholici ex præcepto diuinæ legis, contra Papam hæreticum insurgere possunt, relato in c. Si audieris. 23. q. 5. Et in casu simoniacæ electionis, Principes seculi habere huiusmodi potestatem, est textus Isidori in lib. 3. sententiarum De summo bono, relatus in c. Principes seculi. 23. q. 5. & ibi gloss. in verb. Intra Ecclesiam, *recenset in specie casum simoniæ. Tũ quòd propter negligentiam Cardinalium in conuocando Concilio, potestas ipsum convocandi devolvitur ad Principes, probat Cataldus de Bon-compagnis in tractatu De potestate PP. anno 63. Petrus de Monte in sua Monarchia Conciliorum, cap. de generalis Concilij celebratione, per totum. Cardin. Iacob. in tractatu De Concil. lib. 3. art. 1.*

Sixtus *igitur vigore d. Constitutionis in §* Liceat, *in fine; Magus, ethnicus & hæresiarcha existens, Cardinales creare non potuit, quũ omnis eidem in spiritualibus & temporalibus, vsus, exercitium, potestas, interdicta fuerint, atque omnia per eundem facta, tanquam a non habente potestatem, nulla existant.*

Ex hoc infertur, omnes Pontifices post Sixtum *electos, veros Pontifices non extitisse. Nam post* Sixti Quinti *mortem, Cardinalis Montaltus eius Nepos cum* 40 *votis*

Conclaue

Conclaue ingreſſus eſt, cum quibus Vrbanus 7. qui pauciſsimis diebus ſuperuixit, deinde Gregorius 14, qui decem menſibus; deinde Innocentius 9, qui duobus menſibus, electi ſunt; deinde Clemens 8 qui 13 annis, intruſionem in Papatum continuauit.

Ad iſtorum electionem, maiorem elegentium numerum fecerunt Cardinales nulliter a Sixto Quinto creati. Nam licèt Montaltus eius Nepos tot numero ſuffragia non haberet, quibus electionem includere potuiſſet; excluſivam tamen partem tenebat, ita vt nemo contra illius voluntatem eligi potuerit. Ergo illa excluſiua quam habebat, alios electores (qui verè ſuffragia dare poterant, ſed in minori numero exiſtebant) ad eius voluntatem neceſsitate quadam traxiſſe dicitur, & tota eligentium facultas ad ſuffragia Cardinalis Montalti redigi videbatur.

Ergo iſtæ electiones in totum corruunt. Nam per conſtitutionem Pij Quarti ſuper reformatione Conclauis, ſolis Cardinalibus eligendi Papam facultas data eſt: & licèt in fine conſtitutionis eoſdem ad electionem habilitet, etiamſi excommunicatione irretiti reperirentur, ita ut nunquam contra electionem ab eiſdem factam de nullitate dici poſsit, etiamſi aliquis ex ijs excommunicatus exiſteret; tamen Bulla eoſdem verè Cardinales eſſe præſupponit, non autem in Cardinalatum intruſos, nimirum a non habente poteſtatem factos.

Ideo poſtquam Gregorius 12, qui verè Pontifex erat, ad ſedandum ſchiſma Papatui renuntiaſſet in Concilio Conſtantienſi; quum primum renuntiationis pænitebat, alios Cardinales creare non potuit, & ab eo poſtea creati pro non cardinalibus habiti fuere; ut eſt in actis Concilij

Constantiensis; quoniam facti fuerunt a non habente potestatem. Præterea Cardinales creati a Benedicto 13 Auenioni, ubi Antipapam egit, pro non Cardinalibus habiti sunt. Denique Cardinales a Iohanne 23 facti (qui mortuo Alexandro Quinto, Bononiæ ubi Legatum egit, in Papatum semetipsum intrusit) omnes pro non Cardinalibus habiti fuere in Concilio Constantiensi, ubi Martinus Quintus, non a dictis Cardinalibus, sed a toto Concilio eligitur.

Neque dici potest eosdem Cardinales post mortem Sixti Quinti *publicè pro Cardinalibus habitos esse, atque gesta per eosdem in dubium reuocari non posse, per regulam L.* Barbarius. *ff. de offic. Prætoris: vnde Iurisconsulti probant propter publicam utilitatem gesta a non habente potestatem toleranda esse, nec ulterius refricanda; quia illa regula non procedit in rebus spiritualibus, in quibus communis error non attenditur, qui nec gesta a persona inhabili conualidat: gloss. in c. Vnico: in ver.* approbatis *de Voto. lib. 6. quæ allegat Tancredum & Bartholomæum Brixiensem in suis quæstionibus. Sed in spiritualibus, veritas prævalet opinioni communi; quam glossam ibi sequuntur Archidiacon. super verbum* Susceptionem: *Io. Andreæ Geminian. & Philip. Franch. & Ancaron. ibidem: & Federicus de Senis in concil.* 13. *qui consuluit quòd suscipiens sacrum ordinem ab eo qui communi opinione episcopus reputatur sed revera non est, non impedit contractum matrimonium: idem tenet gloss. in* § ; his ita respondetur *l. 35. q. 9. in fin. gloss. qui dicit quod in causa spirituali statur veritati, non autem præsumptioni etiam per sententiam causatæ. Eandem sententiam sequuntur*

tur Innoc. in c. Nihil. col. 2. de elect. & Bald. in l. 2. in princip. c. De sentent. & in repetit. d. l. Barbarius col. 2. dicens quòd gesta per simoniacum occultum valent si temporalia sunt, non si spiritualia: quia nemo dat quod non habet, & quum sit extra Ecclesiam, in eadem iurisdictionem habere non potest: ergo nec illi qui Cardinales vere non sunt, suffragia in electione Papæ quæ spiritualis res est, dare possunt. Item retentis terminis d. regulæ, & vt communis error attendatur, etiam requiritur probabilis totius populi ignorantia, vt notant omnes interpretes eò loci: sed in populo Romano non solũ ista probabilis ignorantia non erat, quin immo vera scientia aderat, quod Sixtus Quintus Cardinales creare non poterat, postquam Rex Catholicus contra eum tanquam in Papatum intrusum Concilium conuocandum esse Romæ publicauit; Oratorem ad hoc misit per totam curiam; in omnibus congregationibus & tribunalibus de hoc actũ est: & quũ subditi habent certam scientiam quòd non est verus Papa, gesta per eum, etiamsi in foro animæ, nullo modo tenent: vt probat Francisc. Max. decis. Delphinat. 1184 in fin. part. 1. sed propter timorem vitæ nihil de hoc Romæ dici potuit, quum Maiestatis reus extitisset, qui ista obiecisset.

Quum vero Clemens 8. a Cardinalibus per Sixtum Quintum factis, electus, Regem Nauarrum rebenediceret, vt regno Franciæ ille potiri potuisset; non defuere plurimi in Hispania, ubi timor illius Maiestatis non est, qui palàm conclusionem contra electionem de Clemente factam sustinuerunt, atque ad tollendam potestatem, nimirum quòd Regem illum rebenedicere non poterat, multa

volu-

volumina ſcriptitarunt; quoniam intruſus in Papatum poteſtatem ligandi atque ſoluendi non habet; ſicut ſententia a non ſuo iudice lata non tenet: c. Ordinationes. 9. q. 1. De Schiſmaticis.

Ex alio etiam electio de Clemente facta, nulla fuit; quoniam duæ Cardinalium partes concorditer Cardinalem de ſancta Seuerina conuocarunt, ipſum ad capellam Paulinam duxerunt, vbi locus eſt adorandi Pontificem electum; inibi eundem in Sede Pontificis ſedere fecerunt, ipſumque Papam per ſcrutinium publicum acclamarunt: ita enim electionem Pontificis fieri dicit textus in c. Licet de vitanda, de electione; per hæc verba.

Ille abſque vlla exceptione ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit & receptus.

Sed Cardinalis de S. Seuerina a duabus partibus vnanimiter eligitur, & ad locum Papæ deducitur: ergo. Dum autem alij Cardinales qui extrà erant expectabantur (ita enim fieri conſuevit, ut expectentur qui electionem impedire non poſſunt, vt electio vnanimiter ab omnibus, nemine diſſentiente, facta dicatur) venerunt ad locum, Cardinalis Geſualdus qui Decanus collegij erat, & Cardinalis Sfortia, atq́; dolosè electionem iam factam conturbarunt. Geſualdus clamat, Domini numeremus vota; *& dum numerare inciperet, cum aliqua temporis intermiſſione, Sfortia duos ex ſuffragantibus ſecum ad Salam regiam eduxit, atque ad cæteros reuerſus, ſeveritatem Cardinalis de S. Seuerina recenſet; nam iuſtitiam hominis timebant. Interim perfidi Cardinales pro maiore parte e capella Paulina exeunt, & Cardinalem Aldobrandinum*

brandinum acclamant, qui Clemens Octavus appellatus est.

Prima quidem electio de sancta Severina valida fuit, quoniam vota integra & in numero sufficientia erant, quum illum Papam pronuntiarunt, & in loco Pontificio sedere fecerunt. Illa autem solennitas quæ fit in electione Papæ, ut sedentibus omnibus Cardinalibus (etiam eo qui eligendus est) singuli ordinatim dicant, ego N. eligo talem in Papam, & secretarius conclavis singula vota scribat, non est de essentia eiusmodi electionis; quia verba textus d. c. Licet de vitanda: eo ipso Papam universalis Ecclesiæ caput declarant quòd a duabus partibus Cardinalium electus & receptus sit. Receptus quidem dicitur, si in loco Pontificis illum sedere faciunt: electus autem per consensus declarationem in eundem. Hæc omnia in Cardinale de sancta Severina intervenerunt; & quum ita per publicum scrutinium fit, & in Papam assumitur, scrutatoribus opus non est: Abb. in d. c. Licet de vitanda. n. 13. ver. Sed si est factum per scrutinium publicum, de elect. Et hic est vnus de modis eligendi Pontificem, per assumtionem, de quo in supradicta bulla Iulij 2. in §. 1. ver. Etiam per viam assumptionis. Nec est facienda vis super inthronizationem vel adorationem, sive pedum deosculationem, quia hæc omnia effectus sunt in iam electum ordinati, & ipsam electionem iam factam sequuntur, ut ex eadem bulla Iulij Secundi ostenditur: nec requiritur convocatio omnium, quia hoc nullo iure expressum est; & textus in d. c. Licet de vitand. sonat pro validitate electionis, ut probat Iacob. in puncto in d. tract. de Concil. part. 3. artic. 4. n. 154.

 Et

Et seq. vbi ostendit quòd saltem convocandum est Concilium, ut declaret utrum electio valeat, neq; procedendum ad alterius electionem. Ideo electio facta de Clem. 8. tanquam dolosa & ingenio facta, nulla dicenda est; prout est textus expressus in c. In nomine Domini distinct. 23. his verbis.

Quòd si quis contra hoc nostrum decretum synodali sententia promulgatum, per seditionem, vel præsumptionem aut quolibet ingenio electus aut etiam ordinatus, sive inthronizatus fuerit; authoritate divina & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum suis authoribus, fautoribus, & sequacibus, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abjiciatur, sicut Antichristus, invasor, & destructor totius Christianitatis, *&c.*

Et post Cardinalem Hostiensem Abb. in d. c. Licet de vitanda. n. 11. vers. Exposuit Hostiensis. *illud verbum,* Ingenium, *exponit per fraudes, calliditatem & dolum. Talis fuit electio de Iohanne 22. a Concilio Basileensi damnata. Nam post mortem Alex. Quinti, quum Cardinales Bononiæ de altero eligendo tractarent, Cardinalis Cossa qui Legatus ibi erat, vir bellicosus & maximè potens, ab Electoribus obtinuit, ut ipse totam facultatem eligendi haberet: quo concesso, seipsum elegit. & electio ex hoc capite valida erat, ut probat Archiep. Florentin. in 3. parte suæ Historiæ, tit. 21. cap. 24. Sed quia* ingenio *& dolo fecisse dicitur, a Concilio Basileensi privatus fuit. Hoc autem multo magis fieri debet, quum alter verè atq; canonicè electus fuerit.*

Non

Non igitur Clemens verus Pontifex dici potuit, tum quia a carentibus potestate, factus; tum etiam quia ingenio *& dolo electus est. Nam licet textus in d. c. Licet de vitanda: contra Papam quomodolibet electum nullam exceptionem opponi posse iubeat: non tamen eam exceptionem excludit, quæ ex defectu potestatis eligentium est, neq; eam quæ dolo &* ingenio *electionem factam reprobat, vigore d. cap. In nomine Domini: qui textus nunquam correctus fuit; ut etiam probat Abb. in d. c.* Licet de vitanda.

Successivè Paulus Quintus verè Pontifex dici non potest, quum ab eisdem Cardinalibus electus fuerit, qui tales non erant. Præterea, post Clementis mortem, quum de successore ageretur, Cardinales 61 *in Conclavi erant: ex quibus,* 44 *qui duas partes constituebant, Cardinalem Tuscum, infirmum, in lecto iacentem, ad Capellam Sixti duxerunt, ut illum Papam inthronizarent atq; adorarent: & dum cæteros expectabant qui electionem iam factam impedire non poterant; interim Cardinalem Tuscum ut Papam tractabant, singuli supplicationes porrigebant, gratiamque rogabant. Quum autem inter eos qui expectabantur, esset Cardinalis Baronius cum Iustiniano & Mont-alto; Baronius ante portam capellæ Sixti clamare incepit*, Vultisne creare Papam qui in omni verbo *priapum* miscet, *(prout mos est Longobardorum, de qua provincia est Cardinalis Tuscus)* & hoc in tam magnum scandalũ Christianorũ? *Ad huius clamores, omnes* 44 *Cardinales, qui Tuscum elegerunt, perfidè Papam electum derelinquunt, atque statim Cardinalem Borghesium acclamant; eum ad aliam Capellam ducunt*

atque adorant, derelicto Papa Tusco in lecto cum febre iacente. Omnes igitur rationes quæ contra Clementem allegatæ sunt, multò magis contra Paulum obtinere debent.

Hæc in facto notoria sunt: sola allegatione opus est. In notorijs enim neque libellus neque accusatio requiritur, maximè in materia peccati tangente publicam utilitatem. Butr. in c. vestra. de cohabitat. cler. & mulier. Et poterit per Concilium procedi per viam inquisitionis; ut per Butr. ibi ver. Venio ad quartam. *Nam notorium sufficit quod allegatur & proponatur: Clem. Appellante de appellat. & plura ad hoc per Iacob. de Concil. lib. 3. art. 1. n. 141. & seq. Tanto magis quia hæc in dubium reuocari non possunt. Ea etenim quæ in Conclavi fiunt, secreta præsumuntur, dum Conclaue clausum est: sed quum Cardinales exeunt, omnia narrant & nota faciunt. Præterea bini famuli qui cum singulis Cardinalibus in Conclavi sunt, omnia scribunt, quæ postea copistis venalibus in curia vendunt.*

DE ALTERA CAVSA CONVOcandi Concilij generalis propter notoriam simoniam Pauli 5.

PErlegite, quæso, subsequentes causas contra viventem Pontificem, ex quibus Concilium congregari debere necessariò fatendum est.

Primùm autem præsupponere oportet Pontificem quatenus Pontifex, à peccato simoniæ immunem non esse, quam sententiam D. Thom: pluribus ostendit in 2. 2.

quæst.

quæst. 100. *art.* 2. *ad* 7. *Vbi dicit Papam posse incurrere vitium simoniæ, sicut & quemlibet alium. Hoc autem peccatum, tanto in aliqua persona est gravius, quanto maiorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiæ, eius sint ut principalis Dispensatoris, non tamen ad eum pertinent ut ad Dominum aut possessorem: & ideò si reciperet pro aliqua spirituali re pecuniam, non caret vitio simoniæ. Eandem sententiam sequuntur ibi omnes Theologi, Caietanus & cæteri. Idem D. Thom. in* 4. *lib. sent. dist.* 21. *quæst.* 15. *Et ad hoc est textus in c. Iudices* 1. *n.* 1. *desumptus ex Concilio Bracarensi* 2. *cap.* 3. *ubi secundum translationem D. Hieronymi recensentur omnes illi primi saccrdotes, & dicitur,* Nemo ambigiat Hierusalem propter scelera, quæ in hoc capitulo recensentur fuisse submersam &c. *& in Concilio Basileensi sess.* 34. *Papa Eugenius* 4. *depositus est propter crimen simoniæ: Cuius hæc sunt verba;*

Per hanc ejusdem Concilij diffinitiuam sententiam quam fert in his scriptis, pronuntiat, decernit & declarat Gabrielem priùs nominatum Eugenium Papam 4. fuisse & esse notorium & manifestũ contumacem, mandatis seu præceptis vniversalis Ecclesię inobedientem, & in aperta rebellione persistentem, violatorem assiduum atq; contemptorem sacrorum Canonum Synodalium, pacis & vnitatis Ecclesiæ perturbatorem, vniversalis Ecclesiæ scandalatorem notorium, simoniacum, perjurum, incorrigibilem, schismaticum, à fide deuium, pertinacem, hæreticum, dilapidatorem jurium & bonorum Ecclesiæ, invtilem ad admini-

strationem Romani Pontificij, omni titulo, gradu, honore, ac dignitate se reddidisse indignum; quem propterea eadem sancta Synodus, à Papatu & Romano Pontificio ipso jure privatum esse declarat & pronuntiat, & ipsum ab eisdem amouet, deponit, priuat, & abijcit: &c.

Nunc ostendamus in facto nullam ullo unquam tempore simoniam in Dataria commissam fuisse, similem huic quam Paulus exercet. In Dataria obseruatur, vt beneficia ad Papæ collationem spectantia, vel reservata, vel in mense Papæ vacantia, quæ vel propter longam distantiam à Roma, vel quia curata sunt, illius Nepoti Borghesio dari non possunt; in concursu alicui vel conterraneo loci beneficij, vel ex vicinioribus locis oriundo conferantur. Nec iste concursus ad bonum finem fit, vt digniori detur, iuxta sacri concilij Tridentini regulam, sed vt ditiori. Dies concursus ad certum tempus assignatur, vt interim sciri possit, quisnam ex concurrentibus, siue ambientibus beneficium illud, pensionem possit commodissimè extinguere, (nam Pontificijs ordinationibus cautum est, vt solutione quinq; annatarum anticipatim facta, pensiones extingui possint) mox eidem ditiori, non digniori datur: concursus etenim ad cognoscendas divitias, non dignitatem fit. Provisus igitur de beneficio, cum solutione quinq; annatarum anticipatim, illud emit ad rationem 30 pro singulis 100, ultra servitium personale, & animarum curam, quam exercere tenetur. Hoc vt clarius fiat, ponamus beneficium aliquod valere 300 annua: Pensione quanta fieri potest maxima onerabitur, nimirùm centum pro Rectore relictis,

ctis, pensio in ducentum erigetur. Ergo, Provisus solvendo quinq; annatas, mille anticipatim dare opus habet, item alia centum pro bullarum expeditione: ita ut 300 annua, cum servitio personali, & cura animarum ad rationem 30 per 100 venundentur.

Addendum est, cùm per sacrosanctum Tridentinum concilium, regressus & expectativæ prohibitæ fuerint; Papa in fraudem Concilij coadiutorias concedit cũ futura successione, in quarum bullarũ expeditione annatæ solvuntur: Coadiutoriæ autem in idem recidunt cum regressibus, & totum ad pecuniam corradendam. His pensionibus & pensionum extinctionibus Papa vicies centena millia scudorum expendit in emptione terrarum pro Nepote ex fratre: Rignanum terram magnam prope Romam à Sarrellis emit pretio 353 millium scudorum. Ciuitatem Sulmonæ in regno Neapolis emit à Rege Catholico 150 millium scudorum pretio: Quatuor Casalia, sic appellata, in districtu urbis, septingentorum millium scudorum pretio comparauit. In locis montium urbis, quæ ad sex per centum emuntur, 400 millium scudorum expendit: In fabrica palatij quod Borghesiorum appellant 300 millium scudorum erogauit: Deniq; Custodia mobilium Cardinalis Borghesij 600 millium scudorum æstimatur. O bone Deus unde tanta pecunia manualis pervenire potuit, nisi ex Dataria? Ista sola præsumptio ad probationem huiusce veritatis sufficeret. Nam Borghesij omnes ante istius Papatum decocti erant. Sed ipsa veritas clarior fieri potest ex libris & scripturis Romæ existentibus. Nam ex Registro bullarum apparebit, quibus beneficia, & cum quanta pensione collata fuerint.

fuerint. Item apparebit pensiones esse reservatas reservatione mentali Papæ, ita ut reservatarius non cognoscatur, & postea extinctum esse cum Datario tanquam cum Procuratore illius reservatarij in mente retenti. Ipsa natio Hispanica cum quibus eiusmodi negotia transacta sunt, de omnibus fidem facere cogenda est. Instrumenta autem supradictarum emptionum, omnia in officio Betti qui Notarius est Auditoris Cameræ, in veniuntur, in quodam protocollo particulari pro Borghesijs retento,

Propter huiusmodi simonias notorias Papæ, generale Concilium convocandum esse, probat Cardinalis Iacobatius in tractatu de Cōcilio lib. 4. art. 3. n. 55. & plur. seq. Nam constat de iure simoniacos tanquam primos & præcipuos hæreticos ab omnibus despuendos esse. c. Patet 1. q. 1. & c. Per tuas de simonia. & in c. Præsbyter. *ver.* Simoniarum hæresin *& in c. Benedictio. ver. In maledictionem convertitur. & c. Cavendum 1. q. 1. & ibidem Iacobat. n. 59. & seq. adducit multa loca ad probandum simoniacum esse hæreticum, quòd in Papa gravius est peccatum quàm in cæteris. Non enim potest id facere per quod denigratur status universalis Ecclesiæ: c. Etsi illa 1. q. 7. c. Sunt quædam 23. q. 1. Et quum reliqui ab ipso sanctitatis exemplum sumere debeant, ex his minoratur devotio, & periculum est ne extinguatur, quum tanta indignitas in summo Pontifice uidetur, ut pro pecunia tribuat quæ virtutibus debentur : ut dicit Card. Zab. in c. Constitutis. de religiosis domibus.*

DE PLVRIBVS CAVSIS convocandi Concilii generalis, contra PAVLVM Quintum; ex quibus conturbatur status universalis Ecclesiæ.

QVando crimen Papæ notorium est, & inde scandalizatur Ecclesia, tum Concilium generale convocandum esse ut ibi possit accusari, dixit gloss. n c. Si Papa. dist. 40. Quam glossam ab omnibus receptam esse & approbatam dicit Abb. in cap. Significasti, de electione: & in c. Proposuit. col. final. de concess. præbend. & in c. Quum venisset. col. 3. de iudic. Et quòd mundus universus approbet illam glossam, dicit Roman. in Concil. 124. Quæstio discutienda: Bald. in c. Olim, circa finem de rescript. Petr. de Monte, in tractatu de potestate Papæ. cap. de Concilij præeminentia. n. 13. Idem in c. De modis resistendi Papæ, Ecclesiam turbanti. Card. Iacobat. in tractat: de Concil. lib. 3. art. 1. n. 170. & plur seq. Et hodie illa glossa est canonizata per Concilium Constantiense, in titulo de authoritate sacri Concilij. cap. 1.

Et licèt Abb. in cap. Proposuit. de concess. præbend. dicat quòd vix delictum notorium in Papa esse potest, per quod non scandalizetur Ecclesia: nam si is qui unctus est peccauerit, populũ propter scandalum delinquere faciet, ut dicit Moses in Leuitico, relatus in c. Magnæ de voto. Tamen illa glossa secundũ veriorẽ sententiam quam probat Cardinal. Iacobat. in tract. de concil. lib. 8. art. 4. n. 2. intelligẽda est de crimine quod in notorietatem deductum est apud Præsidentes et Prælatos Ecclesiæ pro maiori parte, & apud potiores in Ecclesia etiamsi laici sint. Nam

Matthæi 18. ibi, Si peccauerit &c. dic Ecclesiæ; exponit Chrysostomus, id est, ijs qui præsunt Ecclesiæ: gloss. in c. Si peccauerit 2. q. 1. Et 3. Regum c. 8, Vbi dicitur, Conuertit Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel; ibi non accipitur Ecclesia pro universo Israel, quum totus populus ibi præsens non fuerit, sed pro maioribus natu, & principibus tribuum. Tunc igitur ex delicto notorio Papæ ecclesia scandalizatur, quũ apud Principes, Præsidentes, & Prælatos ecclesiæ deductum est. Et quod cōtra Papam scandalizantem Ecclesiam, possit Concilium congregari, ad præstandum illud remedium quod opportunum fuerit, siue corrigendo, siue deponendo; probant diffuse Mantua in tractatu de Concilio n. 216. Card. Iacobat. in tract. de Concil. lib. 9. art. 12. n. 18. & seq. Sed Paulus turbat statum universalis Ecclesiæ, in non defendendo iurisdictionem Ecclesiæ, & iura ipsius: quod est notorium omnibus Principibus, omnibus Præsidentibus, & omnibus Prælatis Ecclesiæ. Ergo &c. Hoc autem ita in forum deducitur. Veneti legem condunt, ne liceat ulterius Ecclesiasticis in eorum statu, bona stabilia acquirere, utque omnia quæ de novo possidere incipiunt, infra annum vendere teneantur; Ecclesiasticos personaliter puniunt; totius Ecclesiastici fori iurisdictionem extingunt, omnemq́ iurisdictionem etiam super Ecclesiasticis, in eorum dominijs à Deo se habere profitentur. Non est amplius immunitati Ecclesiasticæ locus: Ipsi, Monachos & episcopos carceribus mancipant, etiam ad reuelandum confessionem cogunt, utq́ peccatores absolvant illis præcipiunt. Quos quũ aliquando Paulus interdicto affecisset, Regemq́ Catholicum in auxilium convocasset;

tandem

tandem bello præparato, timidum pœnituit, expensasq; Venetis persolvit, nimirum decimas Ecclesiarum illis concessit, ut refici potuissent.

Mediolanenses & Florentini immunitatem Ecclesiasticam extinguunt; Ecclesiasticos ad contribuendum pro operibus publicis cogunt; nihil quod Româ veniat, publicari permittunt, nisi ab eorundem iurisdictione approbatum fuerit. Lucenses Episcopum de Sede expellunt; Ecclesiasticos ad petendum indulgentiam ab eorum Senatu cogunt; Baldachinum in Ecclesijs habere volunt; vicarium, eam ob causam interdicentem Ecclesias, persequuntur, quem si cepissent, furcis suspendissent. Nemo iam ulterius bullam cœnæ domini timet. Prorex Neapolis Nuntium Apostolicum è fenestris proijci iubet, nisi quamprimum è palatio exeat, quũ ad Proregis audientiam accesserat supplicaturus pro liberãdis certis subditis Ecclesiæ in temporalibus carceratis in illo regno; Confugientes ad Ecclesias morti tradit: ita ut nullus ulterius in Italia locus reliquus sit immunitati, libertati, aut foro Ecclesiastico: totum forum extinctum est. Nihil Papa audire vult quod mæroris quicquam aut tædij afferre possit. Si quid per literas quod iurium Ecclesiæ extinctionem tangat, à Nuntijs Apostolicis ad Papam scribitur, literæ à Cardinali Borghesio reserantur, generalis quædam cognitio dicitur, ut & ipse aliquando generalia respondere possit: cæterum omnia negliguntur.

Hæc in facto omnibus Regibus, Principibus & Magnatibus Ecclesiasticis notoria sunt; ex quibus nemo est qui non cognoscat Ecclesiæ iura esse prorsus extincta. Quòd autem ignavia circa conservationem iurium Ecclesiæ, ma-

ximum scandalum afferat Christianæ Reipublicæ; ita ut præcipua sit causa cur Concilium debeat convocari: probat Durand. in tract: de modo generalis Concilij convocandi. p. 3. c. 39. Mortuus & inutilis æquiparantur in iure. c. Inter corporalia, de translatione Episcoporum. Et ideo sicut, Papa mortuo, successorem ab Electoribus eligi opertet; ita Papa effecto inutili, prouidendum est: ut diffuse probat Cardinal. Iacob.ut. in tract. de Concil. lib. 4. artic. 3.

Constantinus Imperator donavit Ecclesiæ Romam, aliasq́ terras, ut Pontifex iurisdictionem Ecclesiasticam augere atque tueri posset. Ecclesiæ reditus tam immensi sunt, vt Sixtus Quintus (præter fructus qui creditoribus exolvuntur) singulis annis decies centena millia scudorum in castrum sancti Angeli coacervaverit. A Sixti temporibus usq́ in hunc diem, Ecclesiæ patrimonium auctum est, propter reditum status Ferrariæ. Item quia, ubi in Curia tunc temporis expendebantur triginta millia scudorum in singulis mensibus pro expensis palatij, nunc Paulus ad quinq́ millia scudorum restrinxit. Quid igitur fit de tanta pecunia Ecclesiæ? Cur non erogatur in conservandis iuribus Ecclesiæ? Imperatoris interest scire quid fiat. Nam priuilegium quod incipit esse damnosum, reuocari potest. c. Suggestum, de decimis. Et tantæ pecuniæ quæ a tyrannis Ecclesiæ absconduntur, in defendendo & augendo imperio Romano expendendæ sunt.

Item turbat statum universalis Ecclesiæ, quia fructus beneficiorum venales facit: plurimis namq́ Episcopis fructus Episcopatuū ad decennium pignorare permisit, vt solverēt paterna debita: Cardinali de Lenis Episcopo Mi-

leti

leti hoc permisit, vt centum millia scudorum paternorum debitorum exolveret: & quum fructus illius Episcopatus pignorasset ad decennium cum licentia Papæ, mox Archiepiscopatum Ferrariæ illi contulit. Cardinali Spinello suũ Episcopatum pignorare permisit ad decennium; Cardinali Montalto fructus trium Abbatiarum. Res inaudita, nec adhuc à prædecessoribus excogitata. Quòd si pignorantes decesserint, nemo in illis Ecclesijs successor esse vult; vel successores sine reditibus Ecclesiasticis remanent, in scandalum Ecclesiæ. Ita vt Papa insufficiens dici poßit, quum sic dilapidet bona Ecclesiæ. cap. 2. § final. de stat. Mon.

Præterea Paulus turbat statum universalis Ecclesiæ non puniendo notoria delicta subditorum, magnatum & Cardinalium. Canis impudicus dicendus est, non Papa, qui aliorum delicta non corrigit. c. Qui nec regiminis. 2. q. 7. & probat Durand, in tract. de modo generalis Concilij celebrandi. part. 1. rubr. 1. n. 5. & rubric. 4. n. 59. Sed quòd duo ex Cardinalibus cum cognatis, id est uxoribus fratrum suorum concumbant, in curia notorium est: Nec unum solum ex ijs Manfronem cynædum, sed quasi omnes suos Manfrones habere nemo ignorat. Cur iustitia suum locum non habet? Quare duos cynædos, Italum unum, alterum Flandrum ustulari iußit; & contra Sodomitas agentes ab eisdem accusatos nunquam processum est? hoc infame delictum magis in perpetrantibus, quàm in patientibus puniendum est. Cur contra venenariam fratris Papæ non proceditur? An ut reatus Nepotis non innotescat? Qui vitia suorum subditorum non corrigit, non est Pontifex, sed canis impudicus. c. Nemo. dist. 73. Et si culpas subditorum impunitas relinquit, grauiter Deum

offendit. c. Si is. 23. q. 4. Non est in eo charitas sed languor, quum talia nō corrigit; sicut dicit Augustinus super epistolam Iohannis. 23. q. 5. Graviter peccant qui alios scandalizant. c. Cauendum. 10. q. 3. c. Ille. distinct. 93. Sed membra scandalizantia amputanda sunt c. Illud. 24. q. 3. c. Vxor. 24. q. 1. Et propter scandalum Concilium generale congregandum esse, probat Mantua de Concil. n. 216.

Vlteriùs, si Pontifex plurima beneficia det consanguineis, status universalis Ecclesiæ conturbari dicitur; ita probat Petrus de Monte in tract. de potestate summi Pontificis. cap. de modis resistendi Papæ Ecclesiam turbanti. n. 3. Card. Caietan. super D. Thom: in 2. 2. quæst. 100. art. 1. in fin. dicit, Papa non est Dominus bonorum Ecclesiæ, sed dispensator, nec de plenitudine potestatis potest ad libitum dare bona Ecclesiæ cui voluerit, ut consanguineis: sed tenetur recte dispensare iuxta illud, Iam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quisque inveniatur, &c.

At Paulus omnia beneficia sine cura quomodolibet vacantia, sive magna sive parva existant, Nepoti dat, Cardinali nempe Borghesio. Nam si magna sunt, sine ambagibus illa confert: si parva, cuiuscunque tenuitatis existant, (dummodo in Italia sint) uni maiusculo uniuntur, & deinde illud maiusculum Borghesio datur: ita ut nullus ulterius locus existat obtinendi aliquod beneficium. In ore est omnium, Cardinalem Borghesium in annuis reditibus Ecclesiasticis habere ducenta & quinquaginta millia scudorum. Ne Cardinalibus quidem ab ipso creatis, aliquid beneficij simplicis datur: Resignationes simplicium

plicium non admittit, Cardinales quos creat, pauperes esse vult; & si forte uni ex illis Episcopatum concedat pinguiorem, illum onerat pensione Borghesio persolvenda: ita ut apud Provisum, plus duorum millium annuorum non remaneat. Quo pacto Cardinales pene omnes factores Borghesii evadũt, in exigendis introitibus Episcopatuum, & illi exolvendis. Archiepiscopatum Bononiæ Borghesio contulit; quem dum possidebat, Archiepiscopatus Ferrariæ, brevi vacaturus credebatur: & quia utrunq; possidere non poterat, ideo cogitare incepit de Bononiensi illo resignando. Resignatio autem Bononiensis illius non ingenuè facta est; quin potius Archiepiscopum resignatarium, factorem & exactorem deputavit, illiq; duo tantum millia annuorum pro suis laboribus reliquit. O Deus, quid fit de tanta pecũnia manuali? Excita Deus personam, quæ illam quærat.

Ex his, quantum turbetur status universalis Ecclesiæ, nemo non videt; quum literatis nihil iam detur: quibus eget Ecclesia, non autem asinis ferratis, ut exaltentur super cedros Libani, elingues & sine sensu, quique vix sciunt manus dextra quot digitos habeat. Durand. in d. tract. de modo generalis Concilij celebrandi. part. 3. *rubr.* 28. *n.* 11. *dicit, Per Concilia generalia Ecclesia providere debet nullos laicos de parentela Pontificis ditari & exaltari, & ultra eorum statum, de bonis Ecclesiasticis nobilitari atq; impinguari.*

In Concilio Basileensi sess. 13. *de numero & qualitate Cardinalium ita dispositum fuit;*

Quum summo Pontifici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in dirigenda Christianæ Reip. collaterales

laterales existant; necesse est ut tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa Cardines sint; super quos ostia universalis Ecclesiæ versentur & sustententur. Statuit igitur sancta Synodus, ut deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec sit gravis Ecclesiæ, nec superflua numerositate vilescat. Qui de omnibus Christianis regionibus quantum commodè fieri poterit, assumantur, ut notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, & super his maturiùs deliberari possit: Sic tamen ut numerum 24 non excedant. Intra hos autem aliqui esse poterunt, admodum pauci, filij, fratres aut Nepos Regum, seu magnorum Principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum, competens literatura sufficiat.

Cardinalis Iacobatius in d. tract. de Concil. lib. 7. artic. 6. n. 221 post longam super huiusmodi rem disputationem, ita concludit: Credo quum Papa sola carnalitate ductus promoveret plures qui essent incapaces & Romanæ Ecclesiæ inutiles, propter periculum quod imminet universali Ecclesiæ ex malis promotionibus, quòd sit sufficiens causa congregandi Concilium generale: & quòd si convocare detrectaret, posset per se ipsum congregari: quia Papa non convocans, videretur se facere alienum & suspectum de fide. *Hæc sunt verba Cardinalis Iacobatij pro conclusione totius illius quæstionis. Paulus autem Cardinales doctos in Ecclesia Dei esse non vult, qui eius ignorantiam atque errores cognoscant, & qui bonum commune aliquando cogitare possint: eos pro*

Cardina-

Cardinalibus quærit qui Nepoti ſuo in futura Pontificis electione adhærere poſſint; ſcilicet primùm iuvenes, qui ſupervivere poſſint; mox ignaros & viliſſimos, qui paucis reditibus contenti ſemper a Nepote pendeant: ita ut Cardinales a Paulo factos, ad finem carnalitatis & pecuniæ creatos eſſe appareat.

Cardinales, Lantes, Capponus, Barberinus, Spinola ubi literas didicerunt? non alias, quàm Cambiorum *literas in Burſam Pauli apportârunt; quum pretijs officiorum amiſſis facti fuerint Cardinales. Auditoratus cameræ ſeptuaginta millia ſcudorum valebat; Theſauraria tantidem; Clericatus autem cameræ quinquaginta millia: quibus officijs amiſſis isti birreto rubro donantur, & inter Borgheſij ſequaces ſeu mancipia recenſentur. A Paulo autem nihil penſionis ſeu beneficij accipiunt, niſi quod Borgheſius tenere non poteſt. At quid Tontum, Lanfrancum, de Lenis, Philonardum, alioſque dicam, quos pudet nominare? Tontus quidem pauperrimus cauſarum ſollicitator ſine cauſis fuit: quindecim Iulijs menſtruis vivebat illi aſſignatis ab oratorio ſancti Rochi, ubi Organum ſonabat feſtis diebus. Lanfrancus cuius ſit filius, cuius patriæ, ignoratur: in Hoſpitali incurabilium Neapoli malum Gallicum curabat, quando ad Cardinalatum vocabatur.*

De Lenis, & Philonardus duæ columnæ non Eccleſiæ ſed Inferni eſſe poſſunt. Ex hiſne Eccleſia Dei gubernanda eſt? Ex his Pontifex maximus futurus eligendus? Permittendúmne eſt ut Eccleſia Dei ſemper in peius labatur?

Eo autem magis ſcandalizatur Eccleſia, quia creditur

 Paulum

Paulum hæc omnia facere, ut Cardinalem Borghesium sibi successorem relinquat. Paulus enim in principio senectutis existens, spem supervivendi habet, & omnibus Cardinalibus a predecessoribus creatis superesse, totumq; Collegium renovare. Propterea iuvenes creat, eosq; ignorantes & pauperrimos esse vult, ut Borghesio supponantur: eidemq; omnes Ecclesiæ reditus confert, ut quum primùm successoris eligendi occasio venerit, illis reditibus Electoribus impartitis, Pontifex ipse eligi possit. Huic malo nunc obviandum est, ne quid deterius in Ecclesia contingat. Quare tam ex omnibus simul iunctis causis, quàm ex singulis singulariter consideratis, neminem existere credi potest, qui generale Concilium congregandum esse, negare audebit.

GENERALIS CONCILII convocationem ad Cæsarem duntaxat pertinere in casu de quo agitur.

Quamvis ad solum Papam generalis concilij convocatio pertineat, & post eius requisitionem ac negligentiam, ad Cardinales, ut post cæteros probat Cardinal. Iacobat. qui diffusiùs cæteris hanc materiam scripsit, in tract. De Concil. lib. 3. art. 1. per totum: tamen quando agitur contra Papam & contra Cardinales nulliter ab eo creatos, eidemq; adhærentes, sive eiusdem criminis notatos; neq; ad Papam, neq; ad Cardinales huiusmodi generalis Concilij convocationem pertinere, sed solùm Imperatorem illud convocare debere, hisce rationibus & authoritatibus ostenditur.

Quando

Quando in aliquo casu Prælati consensus requiritur, iuxta ea quæ habentur in c. Causam quæ. de iudicijs; si agatur contra eundem Prælatum, eius consensus non est necessarius: ut notant Doct. In cap. Edoceri, de rescript. Et est gloss. in c. Quum pastoris. 2. q. 7. Et quando ipse Prælatus tanquam caput est suspectum, etiam alij qui illum sequuntur suspecti sunt; pariterq́ de eisdem iudicandum est, prout de capite, ut notat Vincentius, quem Abb. & alij sequuntur. in c. de iudicijs. Idemq́ affirmat Baldus in l. 1. in princip. c. Si Rector provinciæ Et ibi notat Abb. in c. Accedens ut lite non contestata. Præterea idem de adhærentibus, quod de principali iudicandum est. c. Ad Apostolicæ, de re iudicata. lib. 6. notatur in c. 1. De postulatione Prælatorum; & l. Quæ religiosis. & ibi Angelus. ff. de rei vendicatione.

Quamobrem si agitur contra Papam & Cardinales qui in causa propria iudices esse prohibentur, si dictæ causæ non possunt absq́ Concilio terminari; Imperatoris intererit illud congregare, sicut probat Card. Iacobat. in d. artic. 1. n. 71. & seq. & n. 74. devolutionem nequaquam ad Cardinales fieri ostendit. Eandem sententiam diffusiùs probant Addentes ad Abbatem in c. Significasti, de electione, in additione quæ incipit, An & quando Concilium sit supra Papam, in 10. limitatione.

Et nisi Imperator convocare posset, in potestate Papæ & suorum Cardinalium esset, contra quos agendum est, fidem Christianam, statumque universalis Ecclesiæ subvertere; quod Imperator permittere non debet, quum ipsius intersit, Ecclesiam defendere. c. Nos ad fidem, dist. 90. Ipse enim totum populum Christianum repræsentat, in

quem universi orbis authoritas translata fuit. l. 2. §. Nouissime. ff. de origine iuris. l. 1. §. Cùm enim. l. de veter. iure enucleando. Ergo loco omnium populorum ipse Imperator congregabit Concilium.

Item quando Cardinales sunt suspecti, utpote quia creati postquam Papa renuntiavit Papatui; tunc ipsi Cardinales convocare non possunt, sed ipse populus convocabit. c. 1. de renuntiatione lib. 6. Et ad hoc est textus c. Si fortè. distinct. 65. Sed hoc intelligitur, quando Romæ ipsum Concilium congregandum esset, uti probat Card. Iacobat. in d. artic. 1. n. 286. Sed quando alibi quàm Romæ congregandum esset, ad Imperatorem pertinere certum est. Imo etiamsi Romæ, quum omnis populi potestas in Imperatorem translata fuerit; ipse enim est pars Concilij, atq́ illi interesse debet proprio suo iure: potestas igitur ad eundem devolvitur, tanquam ad proximum superiorem, argumento eorum quæ notantur in c. Nulla ecclesiastica ministeria: de concessione præbend.

Hæc autem scripta sunt retentis omnibus conclusionibus, quas Romæ tenent: sed ab initio, Conciliorum convocatio ad solum Imperatorem pertinebat. Constantinus convocavit Concilium. c. Sextam. & c. Habeo librum, distinct. 16. Idem habetur in principio Concilij Africani. Item Valentinianus congregavit Concilium. c. Valentinianus. distinct. 63. & c. Mandamus. 2. q. 5. vbi Valentinianus congregavit Concilium ad sedandum scandalum ortum contra Papam. Item Concilium Constantinopolitanum tempore Constantini Constantis filij, vt legitur in principio singularum actionum dicti Concilij; & in gestis Concilij Agaten. in principio cuiuslibet actionis. Ergo

go etiam cum præsupposito, quòd hodie convocatio Concilij sit reservata Papæ, & Cardinalibus in eius defectu; his deficientibus contra quos agendum est, res de facili ad suam pristinam naturam devolvitur, ita ut ipse Cæsar congregare debeat.

In notorijs interpellatio non est necessaria ad constituendam negligentiam. Card. Iacobat. in d. art. 1. n. 206. Sed causæ convocandi Concilium notoriæ sunt, & quantum scandali populo Christiano dent, notorium est: quod procedit etiam dato temporis cursu, in quo quis actum facere potuit, quantumcunque terminus statutus non fuerit, ut in simili. c. 1. §. Notoria. de censib. lib. 6. Multoq́ minus interpellatione opus est eius, contra quem agendum est.

Et quamvis generale Concilium ab Imperatore congregatum, Papæ authoritatem non habeat; non tamen ideo conciliabulum dici debet, quia ipsa Synodus tanquam omnem authoritatem habens, sede vacante, seu quasi vacante, poterit sibi ipsi authoritatem interponere: & hoc casu omnis potestas in ipsa Synodo residebit; cuius caput erit ipse Christus, ut ponit Hostiensis, & refert gloss. in c. 1. De schismate lib. 6. & ita dicitur in concilio Constantiensi, videlicet quòd Concilium generale habet immediatè potestatem à Christo: quod intelligitur, vel Papa non existente, vel quando periculo imminenti Ecclesiæ obviare non vult. Et hæc ita probat Cardin. Iacobat. in d. art. 1. n. 197.

Imo quando Concilium est congregatum, potest requiri Papa, vt illud confirmet. Quòd si confirmare recuset, ipsummet Cōcilium, Papam confirmare nolentem, de hæresi suspectum esse præsumet: atque ideo loco Papæ, authoritatem

tatem interponet. Hæc est doctrina eiusdem Card. Iacobat. in d. art. c. 1. n. 206.

Nec dicetur, Concilium in facto proprio authoritatem impartiri; quum Concilium repræsentet universalem Ecclesiam, cuius caput est Christus, nec est factum proprium alicuius. Iacobat. ibidem. n. 207.

Item ipsum Concilium pronuntiabit se legitimè congregatum, sicut Iudex potest se competentem dicere. c. Super literis, de rescript. & ita fuit factum in Concilio Constantiensi, vt patet in sess. 3. c. 1.

Cardinalis Iacobatius sæpe allegatur, quia eius conclusiones omnes Romæ receptæ sunt; sic ut eius authoritas sit omni exceptione maior.

